11688

Lau: Anieszkowie

Ulahna facti Bart: Nowodworski

Ogól

S 432 Crac. 1617

za Zyg. 3

MNHMA
FACTI,

Generosi ac Magnifici Domini

D. BARTHOLOMÆI NOVODWORSKI, EQVITIS

Militiæ Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, S. R. M. Secretarij, &c. qui studia Academica nouis impensis adauxit: Ipsis ferijs sancto Casimiro dicatis, Anno Domini, 1617.

A

M. LAVREN: SMIESZKOWIC

Conscriptum gratitudinis ergò.

GRACOVIÆ,
In Officina Francisci Cesarij,
Anno Domini, 1617.

In stemma gentis:



ISta Nouodworscij felix est fascia, primis
A regni nostri prodita principijs.
Siue quod hi primi fuerant baptismate loti
Talibus euincti tempora fasciolis.
Siue quòd in bellis horum zelantia Reges
Vulnera pro patria, hoc obuoluere modo.
Vtrumuis fuerit, nunc Nouodworscius auget
Hæc ambo, cum artes sumptibus amplificat.

ODE

ODE MONOC.

CAſimire ſancte, Regiæ domus iubar,
Et ſurcule beatiſsime Iagelloniæ
Propagis, & tuæ vnum aſylum Lechiæ,
Viue archetype pudoris integerrimi:
Quàm fauſtus aduenis tuæ Poloniæ
Quam fauſtus aduenis tuæ etiam Academiæ;
Quæ à Regibus Diuis, tuis maioribus
Olim ſata, imbres beneficentiæ ſitit.
En quando læti agimus tuum feſtum diē,
Tuamq; vitam recolimus ſanctiſsimam,
Ex tequè inoblito recordamur animo
Auos tuos, noſtros ſatores Regios:
Tum inquam grauis pietate meritiſq; patriæ
Decorus, ille effractor inſuperabilis
Smolenſcij, famam trahens longiſsimam,
Magnis in hoſtem ſemper armatus animis,
Regiq; amatus & probatus plurimùm,
Sanctæq; militiæ Hieroſolymæi ordinis
Iuratus, & magnis potens auſis eques:
Bartholomæus Nouoduorſcius, decus

Et fama perpes inclytæ gentis suæ:
Ciuis catâ prudentiâ instructissimus,
Bellorum in ausis miles erectissimus
Vtrâq; vir: togâ sagoq; maximus.
Is rem suam labore quæsitam arduo
Belliq; prœmium irremunerabilis
Quòd victimam pro patria sese daret,
Et pulchram in armis mortem obire quęreret
Toties suis pro ciuibus: tanti istius
Operis sacram mercedulam; cui nam dicat?
Academiæ Lechicæ, lyceo nobili
Septemtrionis educatrici vnicæ,
vt literarum commoda publica augeat.
Vult quippe alumni quattuor sint nobiles
E territorio suo, queîs vltimus
Accessit è populo Tucholiensium.
Isti quothebdomadis ferent sortem bonam
Vt cogitent hoc vnicum quod artium est;
Suoq; studio præpositum habebunt acrem
Vnum æstimatorem Magistrum, qui vigil
Debebit excubare ad horum literas,
Iustum dydactron pro labore sufferens
E liberalitate Nouoduorscij.
Quid illud? An non eloquendum, cùm suos

Venerans patronos operè non cassa prece,
Horum sacerrimis celebritatibus,
Hierosolimiticum contubernium iuuat,
Auctarijs, ô valde quàm in loco datis;
Solenniaque sacrorum inibi fieri ampliter
Iisdem diebus de suo æternùm iubet:
Isto atque facto demeret Diuos sibi,
Factoq́; eodem demeret Musas sibi,
Quæ erunt loquaces semper in laudem istius.
Te inquam Antoni Patauine, cuius festa lux
Victoriam Smolensciam emirata erat;
Te quoq, Georgi sancte militum omnium
Fratrisq́; patronum sui; & te præsidem
Militiæ, Ioannes Hierosolymice, suæ;
Te Bartholomæe quoq́; purpurans sui
Nominis originem, Casimirum ast virginem
Quod hocce factum sit ratum, die huic sacra.
Vos iste vestrosq́; celebres dies facit
Vos ô patroni eius, beati cælites:
(Referre, qua potis est, beneficium volens)
Tantumnè preculis? largitate imò sua,
Dum contubernium auget in vestrum decus.
Quid postea? hos ne tantum adauxit iste, qui
Prodesse satagit omnibus per patriam?

 Imò

6 Imò ecce prodest omnibus; ſcholas enim
Manſuetioribus Camœnis deditas
(Ab ordine ipſarum rato claſſes vocant)
Donat mineruali benefico, & tres ſcholas
Tribus Magiſtris ſingulaſq; ſingulis,
Vacuis & exemptis onere quopiam alio
Inſtaurat, & firmat perenni robore,
O factum in alta perferendum ſecula,
Seris & olim perſonandum à poſteris,
O animum & ô mentem auream, ô ſic publicę
Creſcentiæ boniq; cupidam publici.
Enim hoc in ornamen iuuamenq; patriæ
Fieri, negabit ille qui non eſt ſcius;
Quantã illa regna, quàmq; terribilem ferant
Eclipſim, inauſpicata mala quæ obnunciat,
Vbi conſilî ſol non ſuos radios ciet,
Quem deuehere ſolet eruditio ſolida;
Quæ inſiſtit antiquã orbitam & veterẽ viam.
Negabit etiam hoc ille, qui non audiit
Quàm teneriter quàm & ex medulla pectoris
Amore dio ſaucij, patriam tuam
Deames, & illi te hoſtiam dare peruelis.
Penſate & æquam hoc in trutinam mittite;
Hocce documentũ, inquam, potens ſanctiſsimi

Amoris in patriam suam, perurituṛ
Cuius ab edaci ardore Nouoduorscius;
E cuius ore, bibimus aure illud melos;
Se si beatitatis est aliquid in hoc
Mortalitatis tugurio, hoc in corpore;
Nil acriore sibi cupidine cupere,
Nullam & magè optare sibi sortē tam aureā,
Quàm Rege coram, aut sobole coram Regia
In patriæ charissimæ negotio,
Vt prodigus vitæ suæ effundat animam,
Nequaquam inultus patriæ suæ stragem.
O veteris exemplar animæ, ô priscum decus
Nostro hoc repertum seculo, rarum nimis.
Assurgit in me larga spes & me iubet
Fidere potenter Lechiam inuictissimam
Fore, cū suos quoq; habeat hæc meros Codros.
Vitæ ergo qui non parcus est ob patriam,
Idem iste quæuis alia donat largiter,
Vt commodare patriæ suę queat.
Proporro cui donat, aiūm huc aduortite:
Academiæ illi Sarmatarum gloriæ,
Veteri Magistrę ciuium nostratium,
Quæ annos ducentos ampliusque, est partui
Intenta natorum, sua pro patria.

Nec

Nec est modò effęta, illud at sibi deest
Olim quod etiam defuit Anaxagoræ,
Qui sic Periclem affatur ingratissimum:
O Pericle qui lampadem lucere vult
Affundere oleum debet, alias deperit.
Susurrat hîc fortè aliquis occulto in animo,
Fundatam opibus Academiã esse veteribus?
Ego verò ita animũ induco, & ita prorsũ æsti-
Vetus ædificiũ ni refingas veteraq́; (mo:
Lapsaq́; senectam ob temporis ni obfulcias,
Nouâq́; hinc & hinc non suppleas, isthic situs
Inhabitat & caries vetula, non sed homines:
Sic æstimate peruetustum quodlibet
Beneficium, & vetera laborum præmia.
Quæ (tempore exedente vim pecuniæ,
Valorem & antiquante rerum pristinum)
Augerier necessitas grandis iubet.
Vidisti id alto animo Nouoduorsci, et ideo,
Tuis adauges hoc celebre Gymnasium
Pulchris reditibus, cuius è diuite sinu
Examina illa prodiere ciuium
Prudentum, & illa magna nomina fortium
Virorum, & illa numina prope, pręsulum
Verenda; quos ita finge nunc tecum loqui.

Noſter animę Nouoduorſci & inclytę tuę
Domus perenne decus, beaſti nos modò
Incredibilibus gaudijs, quando vnicam
Noſtram eruditricem, tua iuuas opę,
Academiam; noſtras Athenas Lechicas,
Noſtriq; regni peruetus gymnaſium:
Hic hic iuuentam triuimus noſtram impigrā,
Hic & vias perarduæ cognouimus
Virtutis, & ab altricis iſtius vbere
Sapientię lac copioſum ſuximus:
Hinc in theatrum publicorum munerum
Et in negocia patriæ cucurrimus.
Nec inſolenter exteras prouincias
Viſere libuerat: nam quid hoc petulantię?
Exigere pretio id à ſua vicinia,
Magniſq; plurimiſq; cum periculis;
Quod ſi velit domi ſuæ habeat quilibet?
Atq; illa certè noſtra pulchra tempora,
Illi beati patrię noſtrę dies,
Hinc plurimū crementi habebant, cùm nihil
Sectata gentes diſſitas noſtra patria,
Viuenſq; legibus ſuis & moribus
Exotica omnia oderat; licentiam hinc
Quiduis nouandi (alia vt tacenda reticeam)

Herbescere rata fuerat. Ergo promoues
Patrię tuę genium, & catissima veterum
Consilia regum liberali dextera
Iuuas, eapropter enim ijs authoribus
Surrexit hoc nobile lyceum, intra suos
Pubes Polona limites mentem vt bonam
Quærat, nec amplas perduat vaniter opes,
Patriæq; moribus affricet aliquam notam.
Hoc factum & ipsis mânibus nostris dedit
Noua gaudia, & vitam dabit tibi posthumam.
Qui hoc artiũ emporium omniũ meritissimũ
De patria (quæ charitates omnium
Exuperat omnes) vsq; ita impigrè iuuas;
Hæc verba grandes patrũ animę nostratiũ
Tibi loquuntur ô Nouoduorsci inclyte,
O & beate qui tuum peculium
Nunquam in sat æstimanda patriæ cõmpda
Effundis, in rem & granditer perutilem.
Nam terra velut effæta manet, & non parit
Fructum ni abortum, si suâ non influat
Vi coelum in illam; sic nihil fructi dabunt
Artes, & assurgere nequibunt lętius,
Si haud liberale augmen virorum principum
Influxerit in harum parentes genuinos.

Plutarchus, eruditionis apex, ait.
Quid quòd superstes hinc erit nomen tuum,
Vetaburq; mori beneficentia tua hæc,
Quàm fama anus loquetur, atq; posterûm
Sera memorabunt seclâ, nec te mancupi
Obliuiosis temporibus vnquam dabunt.
Memorabit hoc, mundo senescente, abnepos
Tuus, dabitq; similibus facinoribus
Se se, obtuens tuam memoriam viuidam.
Quosq; tua liberalitas istæc alet,
Hi computabunt tempora, & quod seculum
Te habuerit anquirent; potiti ac munerum
Et dignitatis publicę sellas suas
Alij curules cùm insidebunt, te sibi
Fuisse magnum authorem ad illa culmina;
Comparibus omnes proloquentur vocibus:
Altoq; suspiria trahent à pectore
Vitamq; delicæ beatitudinis
Lachrimis obortis tibi precabuntur, tua &
Sepulchra deuoti videre gestient.
Sed apage musa, nunc eum superstitem
Loquamur, vtq; sit superstes & bonis
Quibusq; florentissimus nimis diu,
Positis ad aram genibus orandus Deus.

Et tu ô pudoris gemma, pluſquã & Angele,
Caſimire ſancte, Patrone noſtræ Lechiæ,
Regumq́, noſtrorum, inclytæq́; Academiæ:
Huîc porrige manum, & dexteram iuuaminis
Extende cœlo in huius auxilia omnia.
Hic namq́; patriæ amator eſt acerrimus,
In iuſſa Regum & ſemper arrectiſsimus,
Studijq́; patrij patronus maximus.